193 *Principes tributa recipiunt, quaſi † ſtipendia ſui miniſterij: laborant enim ad omnium pacem, & quietem ſeruandam: peccant autem Principes, ſi vtilitatem populi non procurant.* Lucas de Pen. *in l. quicunque C. de omni agro, lib.*11.

Quantò igitur vrbanius meliúſque Principi
194 hæc protectio, † & defenſio vi oppreſſorum debita eſt, qui tam ſuum ius, quàm ſuorum vaſſallorum in iniuriis & oppreſſionibus ſedandis ex debito & neceſſitate Regalis officij proſequitur, cum ad id in genere & in ſpecie præcisè teneatur, provt à principio huius capitul. latiùs comprobauimus; non immeritò igitur ſibi omni iure naturali & poſitiuo licere, atque ea vti in neceſſitatibus teneri; vt ſic Rex noſter obuians inquietis, impetentibus Reipublicæ, ſtatúſque ſpiritualis & Eccleſiaſtici turbatoribus, miſeros opprimendi duntaxat cauſâ commotis, dicere valeat cum Iob.29. *cap. verſic.* 17. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

Ex hoc principio iuris naturalis, quo Prin-
195 ceps tenetur † non pati ſubditorum violentiam, deducitur praxis quotidiana huius Supremi Senatus expedientis litteras, vt Nouitius ante profeſſionem in tuto & libertate ponatur, quoties timetur per nimias perſuaſiones Religioſorum cogi ad profeſſionem, ex eo quòd nimiæ per-
196 ſuaſiones & importunæ preces † vim inferunt, & reddunt actum omnino inuoluntarium, *l.* 1. §. *perſuadere, ff. de ſeruo corrupt.* ibi: *Perſuadere eſt plus quam compelli, & cogi ſibi parere, l.*4. §. *ſi quis volentem, ff. de libero homin. exhibendo, l.* 1. *C. ne filius pro patre, l.* 5. *C. de Apoſtat. l. vnica, C. de rapta virgin. l.*1. *tit.*19. *part.*7. ibi: *Como manera es de fuerça, es ſolſacar.* Imò aſſueta perſuaſio plus eſt, quàm compulſio, provt copioſè exornant, ex Oldraldo Caſtren. Deciano, Graueta, Curtius Iunior, Petrus Surdus *conſ.*373. *à num.*14. *cum ſequentibus*, Mantica *de coniectur. vltimarum voluntat. lib.*2. *tit.* 7. *num.* 4. Mieres *de maiorat.* 1. *part. quæſt.* 25. copioſè & abundè Caſtillo *lib.*3. *controuer. à num.*118. cum multis ſequentib. & iterum ipſe Caſtillo *lib.* 4. *cap.*22. *à num.*18. cum multis ſeqq.

Quare ad tollendam hanc violentiam Nouitiis factam; Senatus ſuam authoritatem interpo-
197 nere † ſolet, provt de hac praxi teſtatur etiam Pater Enriquez *de Pontific. claue. cap.*19. §.3. in hæc: *Si in adoleſcentis admiſſione ad Religionem eſſet ſuſpicio de morali quadam violentia per importunas preces, aut de fraude ſub ſpecie pietatis; datur prouiſio in Senatu Regis, vt Nouitius in domo alicuius tuta, aut in ipſo Templo conſtituatur in libertate per triduum, & exploretur eius voluntas, an liberè, & ſcienter velit in monaſterio perſeuerare*, &c.

Et tandem obiter erit adnotandus Auguſtinus Barboſa dum *in cap. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ*
198 *de conſtit. ex num.* 7. aliqua † minus vrgentia fundamenta exagitauit, contra recurſum ad Regem; quibus aliíſque multò fortioribus à nemine hactenus conſideratis, ſed à me ipſo nouiter inuentis, validè, & efficaciter præbuimus reſponſum *in tractat. de Regia protect.* 1. *part. cap.*1. *per totum*; quæ ſingula omnia & Nos nouiſſimè allegans recopilauit D. Ioan. del Caſtillo *in tract. de tertiis, cap.* 41. *à num.* 163. cum multis ſequentibus. Ad hunc nempè finem impugnandi Auguſtinum Barboſam ſcribendo ſignanter ſingula Noſtra Reſponſa, ad diluenda argumenta eiuſdem, qui temerè non callens naturam negotij, qualitatem, modum, & formam procedendi in remedio violentiæ (vel quia ſemper abfuit ab Hiſpania, & eius Tribunalibus Supremis (quibus hæc materia euditur, & legitimus procedendi modus agnoſcitur, indéque iuſtitia recurſus detegitur) & in Romana Curia reſidebat, vel adulandi forſan gratiâ, vel potiùs (vt ego rectius arbitror) irritatus, eò quòd in proprio negotio ſuus aduerſarius contra illum vſus fuit hoc recurſu in Regno Luſitaniæ) receſſit à communi tantorum piorum Doctorum, tam Sacræ Theologiæ, quàm Iuriſprudentiæ profeſſorum, recurſum hunc prouenientem ex fonte peremni iuris naturalis, ad bonum regimen, pacem & tranquillitatem Reipublicæ, & ab immemoriali obſeruantia ſtylo & praxi omnium Catholicorum Regnorum munitum comprobantium: & licet aliqui Theologi aduerſus recurſum aliquid inſurgere voluerunt, ignari formæ procedendi, & moti ex regulis generalibus excludentibus iuriſdictionem Eccleſiaſticam à iudicibus laicis, quæ nihil pertinent, nec obſunt recurſui violentiæ; adhuc tamen & ipſi non fuerunt auſi penitus illum reprobare, & agnoſcentes, non eſſe vi oppreſſis tollendam defenſionem, quam præſtare ſuis vaſſallis tenetur Rex omni iure. Ideò amplius non curamus reſpondere Barboſæ, contenti iis, quæ in eum inſurgit Caſtillo loco citato, ex noſtriſmet Doctrinis, & fundamentis.

§. VNICVS.

De iuſtitia Retentionis Litterarum Apoſtolic. ob longam Hiſpaniæ diſtantiam, aditúmque difficilem ad Sedem Apoſtolicam vrgente neceſſitate, inſtantéque ſcandali periculo exequendi interim eaſdem in pernitiem Reipublicæ.

SVMMARIVM.

*Pro vtilitate communi multa recepta ſunt contra rationem diſputandi, num.*1.

*Retentionem litterarum ob difficilem aditum ad Sedem Apoſtolicam, & longam diſtantiam, omnes fere Doctores iuſtificant, num.*2.

*Retentionis litterarum Apoſtol. Regalia omnes totius Orbis Chriſtiani Principes vtuntur, num.*3.

*Regi Catholico præ omnibus principibus ratio ſuperadditur difficilis aditus ad Sedem Apoſtol. ad iuſtitiam retentionis litterarum, cum Hiſpaniarum Regna in vltimis Europæ, & Orbis finibus ſita ſint, num.*4.

*Suſpenſio litterarum Apoſtol. ſi à Sede Apoſtol. ſpectaretur; de nihilo prodeſſet, cùm non niſi iam illata violentia, & ſcandalo ruente accedere ad Hiſpaniam poſſet, num.*5.

*Si in Italiæ ditionibus prope Romam exiſtentibus recurſus ad Principes licitus eſt; multò magis Regnis Hiſpaniæ procul ab ea diſtantibus, n.*6.

Obſeruatio Camilli Borrelli ad idem adnotatur, ibidem.

*Eam prouinciam longè diſtare à Romana Curia dicitur, quæ extra confines Italiæ ſita eſt, n.*7.

Text. ſingularis in cap. cum longè 93. *diſtin. adducitur, expreſsè probans longè diſtare Hiſpaniarum Regna à Curia Romana, & ſignanter Regnum Galleciæ, eſséque difficillimum aditum, num.*8.

*Ob difficilem aditum ad Sed. Apoſtolic. licitus redditur recurſus ad Regem pro ſuſpendenda interim executione litterarum, num.*9.

*Executor ſpecialiter datus à Sed. Apoſt. ad executionem litterarum nullum habet in Regno ſuperiorem, ad quem recurratur pro earum ſuſpenſione, num.*10.

*Recurſus quando ita facilè haberi nequit ad Sed. Apoſt. poteſt recurri ad Regem pro litterarum ſuſpenſione, donec Pontifex conſulatur, n.*11.

Iacobi de Graffiis ſingularis obſeruatio ad id refertur, diſtinguens inter Regna remota, & proxima Curiæ Romanæ, ibidem.

*Retentionem litterarum, adeo iuſtam reddit longinquitas Regnorum, & difficilis aditus, vt etiam Doctores qui eam impugnant legitimam rationem eſſe expreſsè fateantur, num.*12.

*Patronus qui Eccleſiam dotauit, pro remouenda diſſipatione bonorum Eccleſiæ poteſt recurrere ad Regem, num.*13.

*Text. in cap. adminiſtratores, &c. Princeps, & alia iura ponderantur per Martam, num.*14. *& ſeqq.*

*Principis officium eſt liberare vi oppreſſos, n.*15.

*Res & perſonæ Eccleſiaſticæ in tuto eſſe non poſſunt, niſi eas & regia, & Sacerdotalis regat poteſtas, num.*16.

*Ob difficilem aditum ad Sedem Apoſtolicam, & loci diſtantiam recurſus habetur ad Principem ſæcularem. Obſeruatio Martæ refertur, n.*17.

*Periculum vbi eſt in mora, multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, num.*18.

Propter periculum moræ quis ſubiicitur iudici non ſuo, num 19.

Et ob moræ periculum non eſt conſulendus Summus Pontifex, ibidem.

*Dianæ obſeruatio dicentis poſſe Monachum pro tollenda violentia recurrere ad Regem, quando eius Prælatus longè diſtat, & inſtans eſt grauamen vel cœptum iam, num.*20.

*Periculum vbi eſt in mora poſſe Clericum pro auferenda violentia recurrere ad Regem, abſque metu cenſurarum, agnoſcit Diana, num.*21.

*Prælatos Eccleſiaſticos inobedientes mandatis Regis non poſſe eijci à Regno, dixit Diana, n.*22.

De cuius tamen opinionis veritate legendi ſunt Doctores remiſſiuè hìc laudati, ibidem.

*Ob longam diſtantiam, & imminens periculum in mora poſſe Regem Prælatos inobedientes à Regno expellere, agnoſcit Diana, num.*23.

*Scandalum & periculum Reipublicæ, quando timetur, & Pontifex conſuli non poteſt, recurri poſſe ad Regem, firmat Diana, num.*24.

*Ad defenſionem iuſtam conditio neceſſaria eſt moderamen inculpatæ tutelæ, num.*25.

*Conditiones petitæ à Diana pro iuſtitia recurſus ad Regem, concurrunt omnes in violentiis illatis per Iudices Eccleſiaſticos in Regnis Hiſpaniæ longiſſimè diſtantibus à Sede Apoſtol. n.*26.

*Si ad Sedem Apoſtolicam recurri deberet, & ab ea remedium expectandum, numquam vis illatæ defenſio naturalis prodeſſet, ob tam longam diſtantiam, & difficilem aditum, num.*27.

*Deterioribúſque inconuenientiis, ſumptibus & vexationibus anſa & occaſio præberetur, n.*28.

*Rationes longæ diſtantiæ, difficilis aditus, periculi minantis, & vrgentis neceſſitatis efficaciter vrgent in Hiſpaniarum Regnis, ob executionem litterarum Apoſtol. in damnum publicæ vtilitatis obtentarum, num.*29.

*Neceſſitas vrgens, & periculum minans, indiſcreta & accelerata executio occaſionem præbent vi oppreſſis impulſu naturæ licitum aliunde remedium quærendi, num.*30.

*Diſpendia longè maiora conſiderantur in remotis locis, quàm in proximis, num.*32.

Hiſpaniam in extremis terrarum ſedere, eſséque principium & finem Europæ, & vniuerſi Orbis, apud omnes Geographos conſtans eſt, num. 32. *& ſeqq.*

*Prophetiam Iſaiæ c.*18. *loquentem de extremitate terrarum in Hiſpania verificari, declarant plures DD. num.*33.

*Spania (nomen Hebraicum ſignificans quid abſconditum) fuit appellata Hiſpania ob eius remotiſſimum ſitum, num.*34.

Inſula Cadiz vocabatur Gadeira *Græcè, ſignificans extremitatem terræ, num.*35.

*Sacrum promontorium (Cabo de S. Vicente) Europæ & Orbis terminus eſt remotiſſimus, n.*36.

*Epitaphia notabilia ſepulchrorum recenſentur, quibus Hiſpania extremitas Orbis appellatur, num.*37. 38. *&* 39.

*Cantabria ſita eſt in extremitate terræ, & Orbis, num.*40.

*Item Prouincia Hiſpalenſis, num.*41.

Item Regnum Galleciæ (Authoris nobiliſſima patria) vbi eſt Promontorium Finis terræ. *Sic dictum ob terræ vniuerſæ finem, num.*42.

*Nomen rei conuenire debet, num.*43.

*A nomine arguimus, cùm talis quis præſumatur, qualis denominatio demonſtrat, num.*44.

Promontorium Finis terræ *Regni Galleciæ ſemper, & vſque adhuc conſeruauit hoc nomen, ibidem.*

*Roma cum ſita ſit in medio Regnorum Chriſtianorum Europæ, pernecesse longè diſtat ab Hiſpania ſita in eius extremitate, num.*45.

*Sedes Apoſtolica ſemper recognouit extremitatem Hiſpaniæ, longum iter, & difficilem aditum, quam ideò excuſauit in multis non recipientibus dilationem, num.*46.

*Hiſpania nunquam definiit recognoſcere Chriſti Vicarium vti caput Eccleſiæ vniuerſalis, n.*47.

*Hiſpani Catholici antiquiſſimi gubernabantur cum aliqua independentia à Sed. Apoſtol. ob terrarum diſtantiam, & inconuenientia in tarda negotiorum expeditione & recurſu ad eam, n.*48.

*Pontifices antiquitus creabant legatum à latere aliquem prælatum Hiſpaniæ, ad euitanda inconuenientia, & diſpendia cauſata ob neceſſitatem recurrendi ad eos., num.*49.

*Plurima Concilia celebrata fuere in Hiſpania, ad quorum Congregationem, & decretorum obſeruationem, nunquam adita fuit Sedes Apoſtol. ob longam diſtantiam, & tardam negotiorum expeditionem, num.*50.

*Nec in cauſis criminalibus, & depoſitione Epiſcoporum ad S. Apoſtol. recurrebatur, num.*51.

Nec ad ipſam appellationes interponebantur, ſed cauſæ penitus finiebantur in Hiſpania, ibidem.

*Aſſertio Gerberti Epiſcopi Remienſis, dicentis, interiora Hiſpaniæ Papæ iudicia neſcire declaratur, num.*52.

Ex notiſſima difficultate aditus ad S. A. ob tam longam & remotam diſtantiam, & iter non tutum, *ſed*

ſed plenum maris & terræ periculis, iuſtitia legitimi recurſus ad Regem pro interim retinendis litteris Apoſt. probabiliter, & ſecurè deducitur, num.53.

Pro vtilitate communi plura recepta ſunt contra rationem diſputandi, num.54.

Publicæ vtilitatis cauſa etiam naturali iuri derogatur, num.55.

Publicæ vtilitatis ratio quando vrget, Ordo eſt, ordinem non ſeruare, num.56.

Ob neceſſitatem publicam vrgentem, & periculum imminens iura tranſgredi, & licita, licet iudicantur aliàs prohibita, num.57.

Ob neceſſitatem vrgentem actus fieri poſſunt omiſſa ſolemnitate, & conſenſu alterius aliàs requiſiti & neceſſarij, num.58.

Licentia Papæ requiritur in oppoſitione tributorum comprehendente Clericos, etiam ad bonum & vtilitatem communem & publicam, num.59.

Aditus ad Sedem Apoſtol. quando vrget neceſſitas publica, & imminet periculum, non requiritur, vt Princeps petat à Clericis contributionem, num.60.

Neceſſitas habet ſecum diſpenſationem annexam cuiuſcumque prohibitionis, num.61.

Neceſſitas quando vrget, & periculum eſt in mora, facultatéſque laicorum non ſuppetunt notoriè, non conſulitur Sedes Apoſtol. pro imponenda contributione, num.62.

Si ob moræ periculum, & damnum publicum ineuitabile conſenſus Papæ haberi non poteſt, præſtitus hoc caſu à Papa intelligitur, num.63.

Periculum inſtans, & diſtantia locorum excuſat ab Ordinis poſtulatione, num.64.

In retentione Bullarum, de qua in Hiſpania verſatur vrgens neceſſitas, minans, aut imminens periculum in mora, difficilis aditus ad Papam ob extremitatem locorum, num.65.

Exemptio Clericorum, & eorum bonorum non extenditur ad neceſſitatem naturalis defenſionis, num.66.

Occurrere vrgentibus neceſſitatibus iuris naturalis eſt, à quo nulla poteſt perſona excipi, ibidem.

Ius naturale caret lege permiſſiua, prohibitiua, & conſultiua, ibidem.

Neceſſitas & periculum in mora tribuit iuriſdictionem non habenti, num.67.

Exempti ſi non habent iudicem in Regno, apud Regem conueniuntur, ne in eo deficiat iuſtitiæ adminiſtratio contra commune bonum, & in detrimentum populi, num.68.

MVLTA *autem iure ciuili contra rationem diſputandi pro vtilitate*
1 *† communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt*, docet
Conſultus *in l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquili*, & Pontifex *in cap. Abbat. §. fin. verſicul. Præſertim cum nonnulla pro vtilitate communi contra iuris aſperitatem ex æquitatis manſuetudine tolerari noſcantur de ſententia & re iudicata, lib.6.* Omnes fere Doctores, præſer-
2 tim Hiſpani tractantes † de iuſtitia recurſus ad
Regem pro tollenda violentia illata à iudicibus
Eccleſiaſticis, inter alias rationes communem
vtilitatem, & bonum publicum pertingentes,
ei amplius nituntur, quàm honeſtant, & qualificant
difficiles aditus ad S. Apoſtol. ob longiſſimam
abhinc diſtantiam, & periculum imminens,
vrgentemque neceſſitatem, quæ nullatenus
patitur dilationem, vt per Nos videre eſt
abundè, *in tract. de Regia protect. 1. part. cap. 1. præludio 3. à num. 99. cum ſequentibus*; vbi
per plurimorum iurium ponderationem, rationes,
& Doctorum allegationem hunc articulum
acuratè reſolutum reperies.

Quæ ratio fortior eſt, & præſtantior inſurgit
in hac, qua verſamur retentionis Regalia:
qua licet † vtantur omnes totius Orbis Princi- 3
pes Chriſtiani, ſicuti ex aliis plurimis Doctoribus
adnotauimus infra *in cap. 2. num. 4. & 19. num.25. & 37. & hac 1. part.* ex fundamentalibus
rationibus ſcriptis partim per Doctores,
partim per Noſmet nouiter & vtiliter conſideratis
in cap.1. & ſeqq. hac 1. p.

Adhuc tamen Regi Noſtro Catholico præter
generalia fundamenta omnibus Chriſtiani
Orbis † principibus communia. Hoc aliud im- 4
penetrabile ſuperadditur, quòd Hiſpaniarum
Rgna in vltimis Europæ, Orbíſque & terræ finibus
ſita ſunt (vt mox apparebit) & longiſſimè
diſtantia è Romana Curia, cuius aditus ob id
difficillimus redditur: & non niſi poſt longiſſimum
temporis ſpatium, maximáque, & nouiſſima
terræ ac maris pericula, à qua impoſſibile
foret remedium ſperare, † niſi iam demum lit- 5
terarum ſuarum executione peracta, violentia illata,
& ſcandalo iam ruente, & iacturam Reipublicæ
operante: quippe executores earum, velut
fulgur ad executionem, & inde ruinam populi
feſtinanter currunt, quibus ſi celeriter &
oportunè non occurreretur, per hoc ſalubre (etſi
inſtantaneum, & breui duraturum) præſidium
retentionis (quo illorum furor detinetur, & modeſtè
per Senatum temperatur) vt in executione
tot populo Chriſtiano noxiua, & ſcandaloſa,
ſuperſedeant interim dumtaxat, quòd de inconuenientiis
periculo, & damnis (iuxta Canonum
permiſſionem, de quibus infra *c.3.* per totum)
conſulatur Romanus Pontifex, & per humilem
ſupplicationem certius de veritate, &
legitima cauſa inſtruatur, inde ſperetur & remedium
quieti Reipublicæ magis congruens, &
conueniens; certè facilè periclitaretur Reſpublica
hæc, & ſcandalis vreretur, atque inde pax
publica & ſtatus Regni tranquillus turbaretur,
quoniam non niſi in congruo tempore, & intempeſtiuè
poteſt à Sede Apoſtolica ſperari remedium,
quando iam nec prodeſſe poteſt, nec
ad aliquid proficere.

Hanc conſiderationem in iis terminis de recurſu
ad Principes † temporales cæterarum di- 6
tionum comparatione ad Regem noſtrum Catholicum,
& Regna Hiſpaniarum reperio ſingulariter
feciſſe Camillum Borrellum *in tractat. de præſtantia Regis Catholici, cap. 71. à num. 58.*
qui *in num 59.* ſic ait: *Ne perturbetur ſtatus Regni tranquillus præſertim ſubditorum Laicorum, maximè quia in hoc Regno Neapolitano, quòd viciniſſimum eſt Summo Pontifici, & Vrbi Romanæ, qui ſtatim adiri poſſit, cuius contrarium militat in Hiſpania, vt propter longinquitatem, & Romanæ Curiæ diſtantiam Rex, ſuique Magiſtratus modeſtè Clericales contumelias, inter ipſos vertentes compeſcant*, etiam aduertit Villalobos, &c.

Cuius aſſertio & ex eo iuſta redditur, quod
Nos in iiſdem † terminis poſt alios Doctores 7
adnotauimus *tract. de Regia protection. 1. part. cap.1. num. 100. & 101.* vt ea prouincia longè
diſtare dicatur à Romana Curia, quæ ſita ſit
vltra

vltra terminos, & confines Italiæ: pro quo
8 adeſt textus expreſſus ſignanter loquens † de
iis Hiſpaniarum Regnis, atque etiam nominatim
de Regno Galleciæ (dulciſſima patria Noſtra)
in cap. cum longè 93. diſtinction. quem ex
pluribus doctrinis iuribúſque exornauimus in
loco, vbi proximè allegato, & num ſequent. &
ex aliis valdè ſingularibus exornabitur vlterius
hoc *in §. à num. 46. & ſequentibus.* Nec non ex
aſſertione Geographorum omnium protinus deſcribenda,
hoc ipſum clarius apparebit ad ſecuritatem,
& maiorem cautionem iuſtitiæ Retentionis
litterarum Apoſtolic. ab ipſamet neceſſitate
inuentæ in Hiſpania, & ſalubriter introductæ
iure gentium & inſtinctu naturæ.

Idem etiam affirmant Flores de Mena *practi-*
9 *car. quæſt. † lib.1. quæſt.12. à num.8.* ibi: *Ob vitandas infinitas lites & impertunas mollities, & vexationes, quæ à Curialibus, aut ab aliis quotidie fiebant degentibus in remotis partibus*, &c.
Hoc ipſum in his terminis conſiderat Pater
Henriquez *de Pontificis claue. in 3. tomo ſummæ, tractat. de Pontific. claue. lib. 2. cap. 16. §. 1. in gloſſa, littera D.* cuius obſeruationem ad litteram
retulimus hac *1.part.cap.2. à num.70.* & ſignanter
num 74. & 75. qui omnes Doctores vltra
Cenedum, & alios per Nos laudatos, *in tractat. de Regia protection. dict. cap.1. à num. 99.* in
vnum & idem firmiter conueniunt: recurſum
ad Regem licitum reddi ex tam longa diſtantia
horum Hiſpaniarum Regnorum à Romana Curia,
ad quam difficillimum eſt, imò impoſſibile
recurrere pro vitando periculo minante, at-
10 que etiam tollenda † violentia inferenda per
executores ſuarum litterarum, nec eos cogere
ad ſuperſedendum in executione, quoties ad id
ſubſit iuſta cauſa, & legitima à iure Pontificio
approbata, vt publicum Regni detrimentum
euitetur, cùm nullus adſit in iis Regnis ſuperior
delegatis ſpecialiter datis à Papa, qui ea poteſtate
vti valeat; ad quæ rectè conducunt plurimæ
Sacræ Scripturæ authoritates cumulatæ ſuprà
c.1. à n.3. cum ſequentibus; & præſertim illud
Pſalm. 81. *Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me: quoniam tribulatio proxima eſt, quia non eſt qui adiuuet.* Ex quibus verbis clarè conſtat in tribulationibus
proximis, quàm damnoſa ſit longa diſtantia,
& diſceſſus protectoris remotus.

Clarè etiam, & ſingulariter hoc probat Iaco-
11 bus de Graſſiis † *in deciſ. aureis, lib. 4. cap. 18. n. 119.* dum ibidem circa explicationem Bullæ
Cœnæ Domini, ita ait: *Et cùm timeatur magnum granamen irrefragabile, & non ita facilè haberi poteſt recurſus ad Sedem Rpoſtol. tunc enim licitum eſt appellare, litteráſque Apoſtol. retinere, donec ad Sedem Apoſtolicam recurratur; & hoc intelligitur in partibus longinquis, ſecus autem in proximis.*

Et hæc ratio difficilis aditus ad Sedem Apo-
12 ſtolicam, ob longam eius † diſtantiam, adeò
vrgens eſt ad iuſtitiam recurſus ad Principem
ſecularem, pro tollenda inſtantanea violentia
per executores litterarum inferenda; vt etiam
hi Doctores, qui tepidè acquieuerunt Regio
huiuſmodi recurſui, imò & hi, qui incautè, &
intrepidè illum impugnarunt, adhuc auſi non
fuerunt eandem denegare, & vim, & efficaciam
illius agnoſcentes, apertiſſimè fatentur; quod
vbicunque ratio hæc verſetur, ſemper licitus
erit, iuſtus & iure probabilis talis recurſus, teſte
Marta *de iuriſdiction. 1. part. cap. 48.* qui *à num. 25.*
ait: quòd tunc dicetur Eccleſiaſticam poteſtatem
deficere, ſi nimium abſens fuerit ſummus
ille Prælatus, à quo iuſtitia obtineri debet,
motus ex doctrina prudentiſſimi Nicolai
Babb. *in quodam ſuo conſilio, n.33.* poſt *deciſ. 181.*
Cacherani impreſſo, pro quo & ipſe Marta rectè
ponderat, & allegat text. *in cap. filiis vel nepotibus 16. quæſt.7.* quo canone cauetur, vt hæres
eius qui fundauit, vel dotauit Eccleſiam, † ſi 13
viderit miniſtrum ex collatis rebus aliquid defraudare,
Epiſcopo corrigenda denuntiet; & ſi
Epiſcopus talia attentauerit, Metropolitano, &
ſi Metropolitanus, Regis hæc auribus intimare
non differat; ſed cur (quærit ipſe Autor) potius
Regi, quàm Papæ, omnium, præſertim ſpiritualium
Domino: ſoluit ex gloſſa ibi in verbo
Regis, dicente, vt eum corrigat, cum per Eccleſiaſticum
cogi non poteſt, pro quo allegat, *cap. adminiſtratores, & cap. Principes 23. quæſt.5.* vbi
† adminiſtratores ſecularium dignitatum, qui 14
ad Eccleſiarum defenſionem, rapacium refrenationem
conſtituti eſſe debent; quoties ab Eccleſiaſticis
viris conuenti fuerint, eorum querimonias
attentius audiant, & ſecundùm quod
neceſſitas expoſcerit, abſque negligentia examinent,
ac diligenti ſtudio corrigant. Ratio eſt,
quia Principis officium eſt liberare † de manu 15
calumniantium vi oppreſſos, *cap. 1. de pace tenend.* in princip. Bart. *in proœm. ff. in verſ. omnem, col. 2. & 4.* præſertim Eccleſiaſticas perſonas;
quoniam Res, & perſonæ Eccleſiaſticæ † ne- 16
quaquam in tuto eſſe poſſunt, niſi eas & Regia,
& Sacerdotalis regat poteſtas, *cap. res 23. q. 5. cap. fin. diſt. 96.* provt obſeruat dicta gloſſa per
Martam ponderata, & explicata.

Qui quidem Doctor Marta ad iuſtificationem
prædictorum † vlterius *in num.27. & 28.* proſe- 17
quitur in hunc modum: certè melius dixiſſet
gloſſa, ideò à Metropolitano recurſum haberi
ad Regem, quia non ita facillimè Pontificis aditus
haberi poterat, tùm ex proprietate dignitatis,
tum propter multitudinem negotiorum
Sedis Apoſtolicæ: imò propter loci diſtantiam,
vt dicit Samenſ. *in proœmio regular. Cancellar.*
quibus caſibus abſentia inducitur, & vbi periculum
† eſt in mora; multa permittuntur, quæ 18
aliàs non permitterentur, argument. *cap. cum Eccleſiarum, iuncta gloſſ. de officio. ordinan. cap. baptizarem, diſtin. 3.* & dicit gloſſa *in cap. ſacro, §. caueant, in verſicul. Periculo moræ de ſentent. excommun.* propter periculum moræ
aliquando quem ſubiici iudici non ſuo, &
quod ob moræ † periculum non ſit conſulen- 19
dus Summus Pontifex, Abbas *in cap. non metus, columm. penult. ver. Putarem, & col. vltim. ver. Puto, de immunitate Eccleſiaſtica.* Hinc videmus D. Paulum timentem à
Iudæis occidi, qui in eum conſpirauerant,
miſiſſe adoleſcentem, qui indicaret Tribuno
Iudæorum conſilium procedendi, & occidendi
illum, vt legitur *Actuum capit. 23.* ergo
propter moræ periculum, ne bona Eccleſiæ delapidarentur,
melius eſt haberi recurſum ad
Regem, &c.

In id ipſum coincidit nouiſſimè Antonius Diana
(qui aliàs acriter fert Regaliam recurſus ad
Reges, † ſicuti, & cæteras alias quas ab Eccle- 20
ſia obtinent) *in reſolut. moral. 1. part. tractatu de immunitate Eccleſiaſt. reſolutione 13.* & ante finem

agnoſcit, quòd quando Prælatus Eccleſiaſticus,
ad quem poteſt recurri pro tollenda violentia,
longè diſtat, ita vt oppreſſus non poſſit illum
adire pro inſtante grauamine, vel etiam cæpto,
poſſe tunc Religioſum, vel Clericum recurrere
ad Principem ſecularem, qualis eſt Rex, quia
quando periculum eſt in mora, licitum eſſe, ait,
21 † Principi ſeculari ad ſe aduocare cauſam Eccle-
ſiaſticam, & violentiam auferre abſque metu, &
incurſu cenſurarum Bullæ Cœnæ Domini, ex
Souſa *in d. Bulla cap.15. diſp.78. n. 2. & ſeqq.* &
Portel. *in addition. ad dub. Regul. in fine operis,*
verbo appellare, n.3. & ex Azor, & Bonacina.

Hoc ipſum agnouit ipſemet Diana, ibidem,
22 *in reſolutione* 17. qui † poſtquam amplexus fuit
contrariam opinionem, non poſſe nempe Epi-
ſcopos, & perſonas Eccleſiaſticas inobedientes
mandatis Principis, à Regno expelli (ad cuius
tamen veram reſolutionem conſulendus eſt Ca-
ſtillo *in tractatu de tertiis, cap. 41. à num. 186.*
cum multis ſequentibus, qui omnes Doctores ar-
ticulum tangentes, in vnum congerit) adhuc
tamen ipſum Dianam euicit vis, & efficacia ra-
tionis difficilis recurſus, & longæ diſtantiæ à
Sede Apoſtolica, atque periculi imminentis,
quam agnoſcens, dicit; quòd ſi tanta adeſſet
neceſſitas, quòd clarè periculum † eſſet in mo-
23 ra; tunc aduerſus Clericos & Epiſcopos turban-
tes pacem Reipublicæ, liceret Principi ſeculari
per modum iuſtæ defenſionis facere id, quod
recta ratio ad impediendum damnum Reipubli-
cæ imminens, neceſſarium eſſe dictauerit, ad
quod allegat Molinam *de iuſtitia & iure, tom.1.*
tractat.2. diſputat.31. concluſ.4. Salas *de legibus,*
*tractat.14. diſputation.14. ſection.9. num.*111. la-
nerium *in 2.2. diſput.4. quæſt.4. dubio 1. num.* 30.
qui inſuper ex Zeuallos *in tract. de cognition. per*
viam violent. part.2. quæſt.77. num. 9. & Vgoli-
no *in Bulla Cœnæ cap. 11. p. 2. verſic. Aut eos,*
§. 1. num. 3. in fin. & Salzedo *in practic. crimin.*
Canon. cap. 54. littera B. repetit, id poſſe Prin-
24 cipes † facere de licentia Romani Pontificis,
vel quando graue ſcandalum, vel periculum
Reipublicæ timetur, & Romanus Pontifex con-
ſuli non poteſt, cuius rationem eam eſſe, inquit
Diana ipſe; quia quando non adeſt periculum
in mora, non habet locum modus iuſtæ defen-
ſionis, nam conditio neceſſaria ad iuſtam de-
fenſionem eſt, vt efficiatur cum moderamine in-
25 culpatæ tutelæ; ſed quando † Princeps poteſt
à Summo Pontifice defenſionem poſtulare, non
inculpatè ſe defendit: ergo, &c. remittens ſe ad
Suarez contra Regem Angliæ, *lib.4. cap.34.*

Hanc Dianæ reſolutionem latè examinat
Dom. Ioan. del Caſtillo *in tractatu de tertiis,*
cap.41. à num.186. cum ſequentibus, qui *num.*190.
26 ipſius Dianæ † recenſet aſſertiones, & dicit
omninò facere pro recurſibus, quibus Senatus
Hiſpaniarum vtuntur in tollenda violentia per
Eccleſiaſticos Iudices illatas. Supponit enim
inde ipſe Caſtellus, omnes conditiones petitas
à Diana ad iuſtificationem recurſus Regis de
plano concurrere in violentiis illatis per eos, in
his Hiſpaniarum Regnis longè admodum à
Romana Curia diſtantibus, dum dicit; quòd ſi
ad Romanum Pontificem, vel Iudices alios Ec-
cleſiaſticos † recurri deberet, aut Sedis Apo-
27 ſtolicæ remedium expectandum eſſet, nunquam
in articulis violentiæ, & vis illatæ defenſio na-
turalis prodeſſet, & ſpe tantæ dilationis futuræ,
defectúſque naturalis protectionis ſuorum vaſ-
ſallorum (pertinentis priuatiuè ad Regem, non
ad ſuperiores Eccleſiaſticos) frequentiſſimè iu-
dices & executores violenter ſe geſſiſſent in
magnum ſubditorum omnium, & Reipublicæ
detrimentum, necnon in dedecus, & contem-
ptum Regiæ Maieſtatis, & authoritatis. Dicit
inſuper; quòd ſemper adeſt magnum pericu-
lum in mora in caſu inobedientiæ Eccleſiaſti-
rum, atque ideo modus iuſtæ defenſionis vrget
omnino: nec deficit conditio neceſſaria ad iuſtam
defenſionem, imo adeſt omnino, & fit cum om-
ni moderamine inculpatæ tutelæ, & quod ſi à
Romano Pontifice (proſequitur ipſe Caſtillo)
remedium † expectaretur, magnis inconuenien- 28
tiis, & ſumptibus, moleſtiiſque & vexatio-
nibus anſa, & occaſio daretur, & lites ipſæ deſe-
rerentur, executiuéque in caſibus iure non per-
miſſis vaſſalli iuribus, & rebus ſuis priuarentur,
nunquam etiam recurſus ad Regia Tribunalia
pro vi illata auferenda effectum ſortiretur, &
perinde eſſet, ac ſi recurſus ipſe tolleretur, aut
prohiberetur, ſi ad Romanum Pontificem partes
grauatæ tot ſumptibus, dilationibus, & cenſuris
ſuccenſi præcisè petere, & recurrere deberent.

Vtinam hæ rationes minantis periculi, vr-
gentis neceſsitatis, publici ſtatus † tranquilli
turbationis, & difficilis aditus ad Sedem Apo- 29
ſtolicam pro remedio vi oppreſſorum conſe-
quendo, hactenus conſideratæ, & per diſcur-
ſum amplius iuſtificandæ, ita efficaciter non vr-
gerent in his Hiſpaniarum Regnis, longè ad-
modum diſtantibus à Romana Curia, & quod
cauſæ, quæ paſsim ſe offerunt periculi, & ſcan-
dali, præſertim ex aliquot litteris perperam &
importunis precibus obtentis à Sede ipſa in de-
trimentum publicæ vtilitatis congruam pate-
rentur dilationem, facilem atque aditum ad
Sanctiſsimum, vt cuncta hæc intolerabilia ma-
la ceſſarent, & executores litterarum illa præ
oculis haberent, vt ſua ſponte iuxta Canonum
decreta, de quibus infra *cap.* 3. per totum, in-
celeri & indiſcreta imprudentéque executione
ſuperſederent, & Papam conſulerent.

At eorum imprudentia, indiſcreta celeritas
in exequendis litteris feſtinanter, † & longa 30
diſtantia (prohdolor!) occaſionem præbent
tanti damni, vi oppreſsis, & in anguſtia poſitis,
& vt plurimum Eccleſiaſtica cenſura ſuccenſis
& innodatis, petulanter, & feſtinè perquirendi
aliud, & licitum remedium, ipſius iuris natura-
lis impulſu, quo omnia animantia imbuuntur,
vt alibi latius ſcripſimus: recurrunt igitur ad
eum, Regem nempe, qui ſolùm creatus fuit &
deſtinatus ad vi oppreſſorum præſidium, quique
violentias, iniurias, & externa mala vaſſallorum
in ſuis Regnis auertere omni ſtudio tenetur, &
in ſomnis ſuper eorum quiete & pace vigilare.

Et ſi (vt à principio huius, §. diximus) om-
nibus licet Principibus Chriſtiani Orbis reten-
tionis litterarum Regalia vti, propè † Roma- 31
nam Curiam degentibus, quibus facilè patet
aditus ad eam recurrendi, vt in totius Italiæ Di-
tionibus; quantò magis potentiſsimo Regi no-
ſtro Catholico in ſuis Hiſpaniarum Regnis tam
remotis, & longè ab ea diſtantibus hoc licebit?
quorum ob id diſpendia longè maiora ſunt, &
conſiderantur, vt in ſimilibus terminis pruden-
ter argumentatur Pontifex *in cap. vnico de Cle-*
ricis ægrotantib. ibi: *Verùm ne hoc prætextu*
Eccleſiæ

Eccleſiæ (exiſtentes præcipuè in remotis) diſpendia
patiantur, Nos earum in hac parte indemnitatibus
præcauere volentes, &c.

Conſtans eſt etenim apud Geographos, Hi-
ſpaniam in extremis terrarum ad Solis Occa-
32 ſum ſedere, eſséque extremum principium † &
caput totius Europæ, necnon vniuerſalis terræ
& Orbis finem, & extremitatem, iuxta Pli-
nium *de naturali hiſtoria, in procemio* poſt me-
dium, & *in cap.1. in principio*, Mariana *de rebus*
Hiſpaniæ, cap. 2. à principio, Ambroſius de
Morales, *lib. 8. cap. 20. & cap. 48.* D. Didacus
del Caſtillo, *cap. 10.* Eſtrabon. *de ſitu Orbis,*
lib.3. à principio, Maluenda *lib.3. de Antichriſto,*
cap.12. & cap.17. & lib.5. cap.12. & poſt plu-
rimos alios eruditè tractat diligentiſſimus Fra-
ter Ioannes de la Puente *in conuenientia vtriuſ-*
que Monarchiæ, lib. 3. cap. 19. §. 1. per totum,
& §. 2 pagin. 121. vbi accuratè, & valdè ſingu-
33 lariter interpretatur, & declarat † illam pro-
phetiam Eſaiæ *cap.* 18. *Ite Angeli veloces ad*
gentem conuulſam, & dilaceratam, ad populum
terribilem, poſt quem non eſt alius; vt intelliga-
tur de Apoſtolis miſſis ad prædicandum in Hi-
ſpaniam, in qua verba eius verificantur, eò
quòd ſit ſita in extremis Orbis, & totius terræ,
poſtquam alius non eſt populus, & iterum *in lib.*
1 §.2. ad principium, ita ait: *Es Eſpaña la vltima*
tierra del mundo; no es paſo para otras Prouincias,
como lo ſon Italia, Grecia, y Tracia, y eſta di-
ſtancia è independencia es cauſa de que ſe ignoren
nueſtras coſas.

Et in hoc ſenſu voluere aliqui, quod nò-
men *Spania*, quo antiquiſſimi has denominaue-
34 re † prouincias, eſt Hebraicum, ſignificans ab-
ſconditum, & occultum; ex eo quòd id quod
longè abeſt (provt eſt Hiſpania vltima terrarum
Occidentalium) quaſi quid abſconditum oc-
cultum & coopertum videatur, vt videre eſt
per Pinedam *de verbis Salomonis, lib. 4. cap.* 14.
35 *pagina* 187. vbi allegat † Stephanum antiquiſſi-
mum Geographum loquentem de Inſula Cadiz,
& dicentem vocari *Gadeira*, quòd Græcè ſigni-
ficat extremitatem terræ, in illis verbis: *Gadei-*
ra Vrbs & Inſula in mare Oceano, anguſta, & ob-
longa, quaſi faſcia, ſic dicta veluti Giſdeira, ideſt
extremitas terræ.

Et Eſtrabon *lib. 3. de ſitu Orbis*, loquens de
ſacro Promontorio, hoc eſt Cabo de Sanuicen-
36 te, † ita ait: *Hoc enim non Europæ modò, ſed*
Orbis vniuerſi in Occidentem remotiſſimum ſignum
terminatur.

Hoc etiam nomine antiquiſſimi declararunt
37 Hiſpaniam in ſuorum † ſepulchrorum epita-
phiis, provt vnum cuiuſdam militis Italię oriun-
di refert Ambroſius de Morales, *lib.8. c.8.* affir-
mans fuiſſe inuentum in Caparra, antiqua ciui-
tate penes Placentiam, & Caſtillo *cap.10.* dicit.
fuiſſe inuentum Ezije, quod ſic ſe habet.

Quam. varia hominum. fata. Ortus. in.
Marſis. Domitius. Toranus. vltimas.
adij. terras. arma. ſequutus. infœlicia.
GN. Pomp. hîc. occubui. &c.

Quòd Hiſpanicè tranſcriptum ſic inquit; *Quan*
diuerſos ſon los hados de los hombres; Yo Domicio
Torano naci en los pueblos Marſos de Italia, vine
à eſtas poſteras partes del mundo, ſiguiendo las
deſdichadas armas de Gneyo Pompeyo, caì aqui
muerto † *en la batalla.* Lapis alter fuit repertus 38
in ciuitate Eboræ Regni Luſitani ſuper ſepul-
chro Sertorij, ita ſubſcriptus.

Sertor. Luſit. Dux. in. extrem. Orb plagæ.
D. immort. vouet. anim. buſto. cor-
pus. &c.

Cuius Hiſpanica traductio hoc indicat: *Serto-*
rio Capitan de los Luſitanos, aqui en eſta poſtrera
Region del mundo, ofrece ſu alma à los Dioſes in-
mortales, y el cuerpo à la ſepultura; quod epita-
phium refert Ambroſius de Morales *lib.8. c. 20.*
alter etiam † repertus fuit in ciuitate Gienenſi 39
hoc eſt de Cadiz in hunc modum.

Heliodorus. inſanus. Cartaginenſis. ad
extremum. Orbis. Sarcophago. teſta-
mento. me. hoc. iuſſi. condier. vt vi-
derem ſi. me. quiſquam. inſanior. ad.
me. viſendum. vſque. ad. hæc. loca.
penetraret.

Qui vulgari lingua hoc importat: *Yo Eliodoro*
loco, natural de Cartago, en mi teſtamento me
mandè enterrar en eſte ſepulchro, aqui en lo po-
ſtrero del mundo, para ver ſi auria otro mas loco
que yo, que poruerme llegaſſe haſta eſte lugar; cuius
meminere Cyriacus Anconitanus *in libro ſcri-*
ptionum antiquarum, Petrus Apianus *de antiqui-*
tatibus, & Ambroſ. de Morales *in eodem tracta-*
tu, laudati per Fr. Ioannem de la Puente *in con-*
uenientia vtriuſque Monarchiæ, lib.3. cap.19. §. 1.
prope finem, qui *in §. 2.* abundè probat Canta-
briam † eſſe ſitam in extremitate terræ, & Or- 40
bis, & de prouincia Hiſpalenſi, quo ſignificatu
Hercules † affixit columnas circumſcriptas, *non* 41
plus vltra, Frat. Ioannes de la Puente vbi pro-
ximè, §. 2. à principio videndus.

Atque tandem de Regno Galleciæ nobiliſſi-
mo admodum, atque ſemper fideliſſimo; & no-
ſtra † cariſſima ac dulciſſima patria teſtimo- 42
nium præbet apertum *Promontorium finis terræ,*
Cabo de Finis terræ, vulgo ſemper appellatum,
non procul à ciuitate Corumnæ (à qua & ego
oriundus) ita dictum & nominatum, eò quòd
Finis terrarum, & Orbis ſit, vt rei nomen re-
ctè conueniat, † ex *§. eſt & aliud inſtitut. de dona-* 43
tionibus, l. cum multæ 20. C. de donationibus ante
nuptias, §. in reliquam, verſic. cuius auditores, &
ibi gloſſa, verbo Iuſtinianum, in procemio Dige-
ſtorum, cap. Michaël. de filiis præſbyteror. cap.
per tuas, de probationibus; & † ab ipſo nomine 44
arguatur, cùm talis quis præſumatur, qualis de-
nominatio demonſtrat, Menochius *de præſum-*
ptionibus, lib.6. quæſt.30. plurima de hoc conge-
rit Gratianus *diſceptation. forenſibus, tomo 4. cap.*
798. n.14. & ſequentibus, & Camillus Borrellus *de*
præſtantia Regis Catholici, cap. 1. per totum,
præſertim *à num.*8.

Quod eſt in iſtis terminis aſſerit Florian. de
Ocampo, *lib.1. c.2.* Pater Ioannes de la Puente *in*
conuenientia vtriuſque Monarchiæ, lib.3. c.19. §.1.
col.4. in principio, ibi: *A cierta punta que haze el*
Reino de Galicia dentro del mar Oceano, llamaron,
Finis terræ; y haſta oy retiene el miſmo apellido. Et
hæc extremitas, longáque diſtantia horum † Hi- 45
ſpaniarum Regnorum inſuper, & ex eo patet,
quod ſcriptũ reliquit ipſemet Ioann. de la Puen-
te, vbi proximè, *lib.1. c.4. §.2.* prope principiũ, ſic
C 2 dicens:

dicens: *La primera reſide en el Obiſpo de Roma,*
Padre vniuerſal de los Fieles, de quien ſe deriua
toda noticia Catolica, tiene ſu ſilla en medio de
los cuerpos celeſtiales, quiero dexir, de los Reinos
de la Igleſia; porque la ciudad de Roma, patria
comman de las gentes, eſtà en medio de las Nacio-
nes Chriſtianas, que deſde el principio de la Igle-
ſia haſta oy han conſeruado la Religion, que vna
vez recibieron; qui Author ne ab aliquo repre-
henderetur, ſeipſum gloſſauit, & generalem
illam aſſertionem reſtrinxit, & coarctauit ad
Regna Europæ, *in Gloſſa marginali, littera D.* ibi:
Quales ſon las naciones Catolicas de Europa, cuyo
coraçon y medio es Roma; nam ſi Hiſpania ex-
tremitas ſit Europæ, & Finis terræ, ſequitur
tum multùm diſtare à Roma, tum etiam com-
paratione ad cætera Regna intermedia, multò
maiorem rationem militare in iſtis Hiſpania-
rum ad iuſtitiam retentionis litterarum ex ha-
ctenus abundè comprobatis.

Semper enim Sancta Romana Sedes, Re-
géſque Hiſpaniæ, & eius habitatores recogno-
46 uerunt † longiſſimam diſtantiam à Romana
Curia, difficillimum & periculoſum aditum, ita
vt in multis Hiſpaniam excuſauit neceſſitas vr-
gens ab illius aditu, provt ſignanter & in ter-
minis probat text. ſingularis *in cap. cum longe*
63. diſtinctione; *cùm longè* (inquit Pontifex)
latéque diffuſo tractu terrarum commeantium, im-
peditur celeritas Nuntiorum, quo aut non queat
Regis auribus decedentis Præſulis tranſitus inno-
teſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera
Principis electio præſtolari, naſcitur ſæpè, & no-
ſtro ordini de relatione talium difficultas, & Regiæ
poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogan-
dis Pontificibus ſuſtinet innumeroſa neceſſitas. Vn-
de placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque
Galliciæ, vt ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque prouin-
ciæ, licitum moneat deinceps Toletano Pontifici,
quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti
Toletani Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit,
in quibuslibet Prouinciis, & in præcedentium
ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epi-
ſcopis eligere ſucceſſores: conſonat text. *in cap.*
iuxta patrum, & Canonum inſtituta, omnes Epi-
ſcopi, qui huius Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſub-
iacent, qui propinqui ſunt, annuè circa Idus Maij
Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli
liminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita.
Qui verò de longinquo, iuxta Chirographum ſuum
impleant. 63. diſtinction.

Circa quod ſingularis adeſt obſeruatio dili-
47 gentiſſimi † Fr. Ioannis de la Puente *in dict.*
tractat. de conuenientia vtriuſque Monarchiæ, lib. 1.
cap. 11. §. 2. in hæc: *Nunca Epaña dexò de reco-*
nocer al Vicario de Chriſto, como à Obiſpo, vni-
uerſal de los Fieles, y cabeça de la Igleſia (quòd
in margine comprobat ex quadam *Epiſt. Epi-*
ſcoporum Hiſpaniæ ad Papam, apud Cæſarem
Baronium, *tom. 6. anno* 463. *num.* 22. Maluen-
48 dam *lib. 2. de Antichriſto, cap. 1.*) *pero † gouer-*
nauanſe los antiquiſſimos Catolicos de Eſpaña con
alguna independencia de la Igleſia Romana, por
la diſtancia de las tierras, y por los inconuenientes
que hallaron aquellos ſantos Prelados Padres de
nueſtra Fè, en vagar los Eccleſiaſticos, y en la di-
lacion del deſpacho, y en los recurſos y apelaciones
al ſupremo Tribunal: y para euitarlos hazian los
Papas Legado à Latere à vno de los Obiſpo de
49 *Eſpaña*: provt fuiſſe † Ioannem Epiſcopum
Tarraconenſem: Saluſtium Epiſcopum Hiſpa-
lenſem, probat ipſe in Gloſſa marginali, *litte-*
ra C. ex Epiſtolis Papæ ad eoſdem Epiſcopos &
Legatos, *tomo 1. Conciliorum in Hormiſda*, Ba-
ronio *tom. 6. Annalium, anno* 517. *num.* 63.
item Leandrum, & S. Iſidorum Hiſpaniarum
Prælatos fuiſſe ſimiliter legatos à Latere S. Se-
dis Apoſtolic. ex Loaiſa *de primatu Eccleſiæ To-*
letanæ, §. 5.

Qui Fr. Ioann. de la Puente ad alia ſpecialia
deſcendens proſequitur provt in verſ. *Ninguna*
† nacion Catolica ha celebrado mas Concilios, ad 50
quorum conuocationem & Congregationem,
decretorúmque obſeruantiam nunquam recurrit
ad Romanam Curiam ob longam diſtantiam, &
difficilem aditum, atque expeditionem admo-
dum moroſam & tardam: item † nec in cauſis 51
criminalibus, nec in condemnatione, & depo-
ſitione Epiſcoporum recurri ad Sedem Apoſto-
licam, nec ad ipſam appellationes interponi;
ſed in Hiſpania cauſas omnes definiri, & vlti-
mo terminari, affirmat ibidem ex variis exem-
plaribus à ſe adductis in verſiculo, *en las cauſas*
criminales, ita concludens: *Y pues no apelò para*
la Igleſia Romana, acà fenecian las cauſas, y no
eſtaba mas pueſto en platica recurrir à la Igleſia
Romana; quod per multi temporis ſpatium hanc
eandem independentiam à Romana Curia per-
duraſſe in Hiſpania, quouſque penitus ab in-
ternis inimicis quieuit, & Bellorum incendium
ceſſauit; quo ſenſu intelligenda eſt aſſertio Ger-
berti intruſi † Epiſcopi Remienſis, quando tra- 52
ctans de actis Synodi Remenſis loquens de Pa-
pa, ita ait: *Interiora Hiſpaniæ eius iudicia ne-*
ſciunt; quem in abſoluta, & in diſcreta propo-
ſitione mentiri dicunt Maluenda, *lib. 2. de Anti-*
chriſto, c. 1. & Frat. Ioan. de la Puēte vbi proximè
dict. §. 2. in gloſſa marginali, littera A. ad finem.

Suppoſita igitur hac notiſſima difficultate
aditus ad Sedem Apoſtolicam, ob tantam ex-
tremitatem, † longiſſimámque diſtantiam ab 53
iſtis Hiſpaniarum Regnis, admodum ab illa
remotis, itérque difficillimum & plenum peri-
culis maris, & terræ, & vt plurimum Bellis, &
inimicis glorioſiſſimæ Maieſtatis, & tantæ po-
tentiæ & felicitati Noſtri Regis Catholici
inuidis (qualem nullus vnquam vniuerſi Or-
bis Monarcha, alius conſequutus fuit, nec ha-
bet) impeditum; atque ſimul ſtante, inſtanté-
que & vrgente neceſſitate, & periculo violen-
ter & feſtinanter exequendi litteras Apoſtolicas
in detrimentum publicæ vtilitatis, & in ſcan-
dalum populi, licitus & omni iure permiſſus
iudicandus erit iſte ad Regem recurſus Reten-
tionis, ne executor, interim quod conſulitur,
& inſtruitur Sanctiſſimus de legitima ſuſpenſio-
nis cauſa, litteras exequatur, ſed potius ſuper-
ſedeat, provt ex Pontificalium Canonum de-
cretis tenetur ad latè tradita per Nos, infra
cap. 3. per totum.

Multa autem (vt ad initium huius, §. re-
deamus) *iure ciuili contra rationem diſputandi*
pro vtilitate communi † recepta eſſe, innumerabi- 54
libus rebus probari poteſt, dicit Conſultus *in l. ita*
vulneratus & legem Aquili, quam exornant
latiſſimè Zeballos *communem contra commun.*
4. part. quæſtion. 906. *ex numer.* 341. *& ſe-*
quentibus, Dom. Ioan. Valençuel. Velaz-
quez *in conſil.* 99. *per totum*; dicens cum aliis
plurimis Doctoribus, quòd publicæ † vtilitatis 55
cauſa

cauſa etiam naturali iuri derogatur, & copiosè
per Nicol. Balui. *in ſuo conſilio poſito poſt deci-*
ſion. 68. Octauiani Cacherani *num.* 31. ex mul-
torum obſeruatione, quòd ex magna & publica
cauſa licitum eſt, legem tranſgredi; & addit,
quòd quando publicæ vtilitatis ratio vrget, or-
dinem non ſeruare, ordo eſt.

Quòd multo magis procedit, in caſu vrgen-
tis neceſſitatis, & inſtantis periculi dilationem
56 non patientis. Ob neceſſitatem namque † publi-
cam, quæ vrget, vt illi conſulatur, & occurra-
tur, leges etiam, & iura tranſgredi licet. Nec-
non quàmplurima permittuntur, quæ aliàs eo-
dem iure ſunt prohibita. Adeò vt in omni di-
ſpoſitione, quantumcumque generali, ſemper
vrgentis neceſſitatis cauſa excepta intelligitur,
ſicuti abundè videre eſt ex cumulatis per Ca-
ſtillo *controuerſiarum, tomo 3. cap.* 113. *num.*
15. 18. *&* 19. & ſuperiùs à *num.* 4. cum ſequen-
tibus.

Quia neceſſitas nulli legi ſubiicitur, ſed ſu-
58 pra legem eſt, † & ipſa facit legem, nec eſt cul-
pabile quod fit neceſſitate cogente, adeò vt pro-
pter neceſſitatem vrgentem poſſunt fieri actus
ſine voluntate expreſſà, & conſenſu eius, qui
aliàs deberet concurrere, & requirebatur, at-
que neceſſarius erat: Decius *in conſ.* 51. *num.* 1.
& 2. *lib.* 3. Viuius *deciſ.* 223. *per totam, lib.* 2.
Matienzo *in l. 1. tit. 10. gloſ. 21 ex num. 7.* Thu-
ſcus *littera N. concluſ.* 18. *&* 19. *& ſeqq. vſque*
ad concluſ. 24. Cacheranius *deciſ. Pedemonta.* 68.
num. 26. *& tribus ſeqq.* Bobadilla *lib. 2. cap. 18. ex*
num. 316. *& ſeqq.* plurimi recenſentur per Caſtillo
controuerſ. tomo 6. cap. 113. *num.* 19. *& ſeqq. &*
antea ex num. 15.

Hinc eſt, quòd licet requiratur & neceſſaria
ſit præcedens licentia Romani Pontificis, vt ob
59 † neceſſitates publicas & communes & mixtas
laicorum, & Clericorum, tributum & contribu-
tiones Eccleſiaſticis perſonis imponantur, vt
poſt longam diſputationem rectè obſeruat Ca-
ſtillo *de tertiis, capitul. 9. à n.* 32. cum multis ſe-
quentibus.

Tamen quando neceſſitas publica ita vrgeat,
60 vt periculum ſit in mora, † ita vt non poſſit
prius conſuli nec adiri Sedes Apoſtolica, abſ-
que magno detrimento, & periculo Reipubli-
cæ; tunc licitum eſſe Principi temporali, hu-
iuſmodi exactiones neceſſarias Clericis etiam
imponere, & exigere, vt tanto damno publico
celeriter occurratur, cum neceſſitas faciat lici-
tum, quòd aliàs eſt illicitum, & habeat ſecum
diſpenſationem annexam cuiuſcumque prohi-
bitionis, aut requiſiti in contrarium. Imò, &
permiſſionem expreſſam habere videatur ex
naturalis, & diuini iuris ratione, eò quòd ne-
ceſſitas nulli legi ſubijciatur, vt permulti com-
muniter probant. Pater Ludouic. Molina *de iu-*
ſtitia & iure, tomo 5 diſp. 672. col. 3. in fin. Marta
de iuriſdict. 4. p. caſu 1. n. 48. & 49. poſt Alexan-
drum, Signorolum, Socinum Seniorem, Gail,
Iſernia, Afflict. Couar. Calderinum, Federicum
de Senis, ſummam Angelicam, Speculatorem,
Turrecrematam, Zauarellam, Lucam de Penna,
Archidiach. Collectarium, Innocentium, Berta-
61 chinum, Bartol. Albericum, † Iacob, Butrica-
rium, Cepola, Plateam Barulum, Nicol. de Nea-
poli, Pariſi, Corneum, Ripam, Bertrandum, De-
cianum, Menoch. Dueñas, Octauian. Abendañ.
Mexiam, Mencacha, Salzed. Franchis, Guido
Papa, & alios, quos pro hac hac parte ita lau-
dat, & intelligit ipſe Marta. Poſt quos, elegan-
ter articulum hunc reſoluit & fundat Lucas de
Penna, *in l. cum ad feliciſſimum, C. de quibus*
muner. vel præſtat. nemin. liceat ſe excuſare, ver-
ſic. Sed iam hodie à princip. *& à num.* 6. & per
eundem Abiles *in capitibus Prætorum* 23. *gloſſ.*
Ordin. num. 5. & ſeqq. vbi exclamat hanc Lucæ
de Pennæ obſeruationem, Rebuffus *etiam in*
conſtitut. Regalib. Galliæ, tit. de ſentent. prouiſio-
nalib. art. 3. gloſ. 6. pag. 268. Ludouicus Mexia *in*
pracmat. taxæ panis, concluſ. 1. *num.* 60. *&* 61.
fol. 21. & concluſ. 5. num. 63. & ſeqq. Nicol. Balui.
in conſilio, quod habetur poſt *deciſ.* 68. Octa-
uiani Chacherian. *n. 29. & ſeqq.* ſequitur etiam,
& validiſſimè comprobat Octauianus ipſe *dicta*
deciſ. 68. ex num. 4. vſque ad num. 13. & num. 20.
& 21. vbi concludit cum aliis authoribus, quos
citat: quòd quando imminet neceſſitas, & pe- 62
riculum eſt in mora, facultatéſque laicorum
notoriè non ſuppetunt, non eſt conſulendus
Romanus Pontifex, & ſic locum non habere
deciſionem, *cap. non minus, & cap. aduerſus de*
immunitat. Eccleſiaſt. & repetit *num.* 23. 24. *&* 30.
& 31. Zeball. *commun. contra commun. tom.* 2.
q. 578. in fin. in illis verbis: *Sed ſi fuerit immi-*
nens periculum in mora, ſi recurratur ad Roma-
num Pontificem, tunc recedendum eſt à regulis iu-
ris, Gutierr. *practicar. q. lib. 1. q. 3. num. 4. &* 5.
Olanus *in antinomia iuris litter. C. nem.* 38. Aze-
bed. *in leg. tit. 3. lib. 1. Recopil. num. 6. &* 7. con-
ſtanter Menochius *in conſ.* 800. per totum, *lib.* 8.
& melius *in conſ.* 1000. *num.* 36. *&* 37. *&* 38.
lib. 10. vbi hanc concluſionem ſecurè affirmat,
& per plurimorum allegationem † idem tenet 63
Auguſtinus Barboſa *in collect. ad cap. peruenit,*
de immunitate Eccleſiarum, vbi concludit, quòd
quando propter moræ periculum, & damnum
ineuitabile, conſenſus Papæ haberi minimè po-
teſt, tunc tacitè in hoc caſu ab eodem Roma-
no Pontifice præſtitus cenſetur, notanter quo-
que Pater Suarez *in defenſion. Fidei lib. 4. immu-*
nitat. Eccleſiarum, cap. 26. num. 18. fol. 290. in
fin. in his verbis: *Solum ergo limitari poteſt illa*
concluſio in caſu vrgentis neceſſitatis, quando eſt
periculum in mora, quia neceſſitas caret lege,
&c. Bobadilla *in politica, lib. 2. capitul. 18. n.* 315.
vſque ad num. 326. & 332. ibi: *Ni la † inſtancia* 64
del peligro, y diſtancia del lugar le dieſſen à eſpe-
rar otra orden y decreto, latiſſimè diſputat, & per
plurimorum Doctorum obſeruationes hanc
eandem opinionem veram reſoluit nouiſſimè
Caſtil. *in tractatu de tertiis, cap. 9. à num.* 32. cum
multis ſeqq.

Sic igitur cum in noſtro caſu, quo verſamur,
concurrat vtilitas publica, † & eius damnum, 65
vrgens neceſſitas, inſtans periculum dilationem
non patiens, ac locorum longinquitas, maxi-
máque extremitas, & in Regno non adſit alius
qui poſſit reprimere violentiam executoris Se-
dis Apoſtolicæ: vt ſaluti publici ſtatus conſula-
tur, licitus redditur, & iure permiſſus recurſus
ad Regem, antequam adeatur Sedes Apoſtolica,
vt interim ſuperſedeat executor in litterarum
executione; provt † eleganter obſeruat Boba- 66
dilla (maximæ authoritatis Doctor) *in politic.*
lib. 2. cap. 18. à num. 284. *cum ſequentibus, &*
num. 297. *fallentia* 23. ita ait: *Y porque ſu*
exception y franqueza concedida à la dignidad,
ò à la Religion, ò a las perſonas no ſe eſtiende

 à la

à la neceſſidad de la natural defenſa, ni à la publica de conſeruar el bien commun, ni à las oppreſiones, &c. Porque eſta neceſſidad ſiempre queda exceptuada; & memorabiliter comprobat, *num.* 316. ſic ſcribens: *Porque ſocorrer à las vrgentes y extremas neceſſitades, es de derecho natural, del qual ninguna perſona ſe puede exceptuar, pues en el no cabe diſpenſacion. Y anſi aunque los Eccleſiaſticos ſean exemptos por ſus perſonas y haziendas, &c. Pero en llegando al derecho natural ſon obligados*, qui *num.* 317. ſic ſcribit: *Porque la neceſſidad no tiene ley permiſiua, ni prohibitiua, ni conſultiua*, & *num.* 318. *Y por la neceſſidad muchas vezes ſe alteran, y diſpenſan los preceptos, no ſolo del derecho humano, ſino del natural y diuino*; itaque perſuadente ad hoc iuſta & legitima cauſa, cum antea ſit impoſſibile ipſam Sedem adire, & neceſſitas vrgeat, periculum ſit in mora, quod
67 tribuit iuriſdictionem † non habenti, etiam contra Clericum, & ex aliis fundamentis ex hoc capite legitimum eſſe recurſum ad Regem, accuratè comprobauimus *in tract. de Regia protect.* 1. *part, cap.* 1. *à num.* 99. *cum ſequentibus*, cui & hoc §. *addere poteſt*, cui reſolutioni rectè inſuper conducunt, quæ ſcripſimus infrà hac 1. *part. cap.* 10. §. *vnico, num.* 31. *& à num.* 36. *& ſequentibus*; & melius quæ poſt plurimorum relationem diximus 2. *part. cap.* 11. *à num.* 87. *& ſe-*
68 *quentibus*. Firmantium de cauſis † exemptorum non habentium in Regno iudicem proprium poſſe Regem cognoſcere, ne iuſtitia careat in detrimentum, & pernitiem vaſſallorum ſuorum.

CAPVT II.

Retentio Bullarum ex vera violentiæ cauſa, an in Bulla Cœnæ Domini expreſsè prohibeatur, vel expreſsè, aut virtualiter, (ſupplicatione præmiſſa) permitatur.

SVMMARIVM.

Ex origine iuris naturalis gentium, diuini, & poſitiui prouenit, Principem poſſe obuiare violentis executionibus litterarum Apoſt. num. 1.

Litteræ Apoſtolic. in his Regnis Hiſpaniarum multis in caſibus ad ſuprema Tribunalia vehuntur, vt examinentur, an quid contineant in damnum Regis, aut Regni, aut contra publicam vtilitatem, num. 2.

Litteræ Apoſtolicæ in pernitiem Reipublicæ Eccleſiaſticæ, ſpiritualis, & temporalis in Senatu reuerenter retinentur, donec Pontifex de veritate informatus, vel reuocet, vel confirmet ſupplicatione præmiſſa, num. 3.

Litterarum Apoſtolicarum examine omnes Chriſtiani Principes vtuntur, num. 4. *&* 19.

Retentionem Bullarum legitimè factam Doctores, tam Iuriſtæ, quàm Theologi approbantes recenſentur, à num. 5.

Aliud eſt poteſtatem ſecularem mandare abſolutè, ne litteræ Apoſtolicæ executioni mandentur, aliud ne ſine ſuo examine exequantur, & de ratione differentiæ, ibidem.

Carolus Imperator obtinuit à Synodo priuilegium, ne ſine ſuo conſenſu inſtituerentur Epiſcopi, num. 6.

Rex in retentione Bullarum, non intendit iudicium Eccleſiaſticum vſurpare, ſed vult ad ædificationem Reipublicæ ſtatum Eccleſiaſticum promouere, num. 7.

Apoſtolicæ litteræ contra publicam vtilitatem detinentur, quia ad Regem pertinet iure naturali populos ſibi ſubiectos, ab huiuſmodi oppreſſionibus liberare, num. 8.

Abuſui notorio Eccleſiaſticæ poteſtatis Princeps obuiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ne pax publica turbetur, num. 9.

Litterarum Apoſtolicarum in præiudicium Sanctæ Inquiſitionis executio ſuſpendenda, num. 10.

Litterarum Apoſtolicarum executio ſuſpendenda erit cum debita reuerentia, & ſecunda iuſſio expectanda, num. 11.

Statutum Florentinum, ne litteræ Apoſtolicæ exequantur, niſi habita prius licentia à Senatu ob vitanda ſcandala, validum eſt, num. 12. *&* 13.

Edita hæc ad euitanda ſcandala ordinata valent, num. 14.

Statutum ne alienigena obtineat beneficium in Regno pro bono publico, & euitando ſcandalo valet, num. 15.

Litteræ Apoſtolicæ in damnum Regis, aut Regni licitè retinentur ex iuſta cauſa, donec Pontifex melius informatus ſupplicatione præmiſſa ſecundam mittat iuſſionem, num. 16. *&* 17.

Litteræ Apoſtolicæ falſis ſuggeſtionibus contra publicam ſpiritualis, Eccleſiaſticæ, & temporalis vtilitatem præter Pontificis voluntatem impetratæ, detinentur in Senatu ne exequantur, num. 18.

Et non ob id aliquas incurri cenſuras, ibidem, & num. ſequent. & 24. *&* 30. *&* 31. *&* 33.

Bullarum retentio exiſtente iuſta cauſa prouenit ab origine, & principio iuris naturalis dictantis defenſionem vi oppreſſorum, num. 20. *&* 21.

Litteræ Apoſtolicæ iuſta deficiente cauſa retineri non poſſunt, num. 22.

Cauſæ legitimæ Bullarum retentionis variæ ſunt arbitrio docti & pij viri relictæ, num. 23.

Litteræ Apoſtolicæ quæ ſine cauſa tollunt ius tertio quæſitum iuſtè retinentur, ibidem.

Principes & Senatores retinentes litteras Apoſtolicas ex iuſta cauſa non incurrunt cenſuras Bullæ Cœnæ, num. 24. *&* 30. *&* 33.

Retentionis litterarum Apoſtolicar. recurſu omnes vtuntur Principes Chriſtiani, num. 25.

In Francia obſeruatur, num. 26.

Litteræ Apoſtolicæ contra ius Regis, aut Regni, aut contra œcumenica Concilia generalia ad ſuprema Tribunalia vehuntur, illícque examinantur, & retinentur, num. 27.

Retentio in caſibus permiſſis exiſtente iuſta cauſa fieri debet (vt aſſolet) cum maxima reuerentia Sedis Apoſtolicæ ad effectum ſupplicandi, n. 28.

Iuſta cauſa retentionis quando à Senatu non reperitur ſtatim litteræ redduntur impetranti, n. 29.

Litterarum Apoſtol. retentio, & examen in Regno Neapolitano, ibidem, & num. 34.

Vbi quod exiſtente iuſta cauſa licitè retinentur litteræ Apoſtolicæ, nec hoc damnare Bullam Cœnæ, num. 30.

Bullarum retentio ex principio iuris naturalis prouenit, & ex neceſſitate officij Regalis, quo adſtringitur Rex ad defenſionem impertiendam, num. 32.

Reipublicæ Chriſtianæ vtile fore, Principem obtinere priuilegium, vt omnes litteræ iuſtitiæ & gratiæ præſententur in Senatu ante earum executionem, qui dixerint, num. 32.

Litterarum examen, & retentio licitè fit à Rege, abſque incurſu cenſurarum, vbi ita conuenit conſeruationi, & paci boni regiminis, n. 33.

Dummodo id fiat ſine fraude, aut dolo, non ex cauſa executionem litterarum impediendi, n. 34.

Praxis retentionis litterarum Apoſtolic. in Hiſpania iam diu inoleuit, vt ſi aduerſentur ſacris Conciliis generalibus, informatus Pontifex de veritate, quid Eccleſiæ ſaluti, fidelium vtilitati, Reipublicæ commoditati diſponat, num. 35. *&* 36.

In Regno Neapolitano, & Siculo non exequuntur litteræ Apoſtolicæ, donec interponatur brachium Regium vulgo dictum (exequatur) num. 37.

Iudices Regij caueant, ne iniuſtè impediant litterarum Apoſtolicarum executionem, num. 38.

Princeps iure naturæ, quo tenetur ad ſedandum tumultum, & ſeditionis pericula in Regno cuius eſt protector, in bonis etiam Eccleſiaſticis, poteſt ex hoc litterar. Apoſtolic. executionem impedire, num. 39.

Conſuetudo examinandi litter. Apoſtol. apud varias Orbis nationes viget, ſciente, & patiente Papa, num. 40.

Quam non damnat Pater Enriquez, niſi ob ſuſpicionem fraudulentæ inobedientiæ, aut niſi Rex de fide ſit ſuſpectus, ibidem.

Antoninus Diana inſurgens in retentionem litterarum Apoſtolicarum reprehenditur, ibidem.

Retentio in Senatu fit pro tollenda violentia, ibidem.

In Regno Siciliæ non permittitur, litteras Apoſtolicas executioni dari, donec examinentur à Regio Magiſtratu, & inde emaneat decretum (exequatur) num. 41.

Monarcha Siciliæ dicitur Rex Hiſpaniæ ex conceſſione Apoſtolica, qua exercet iuriſdictionem Eccleſiaſticam in Prælatos Regni, & non videtur procedere authoritate laicali, ſed Apoſtolica, num. 42.

Hæc Siciliæ Praxis originem habet à priuilegio Apoſtolico dato Rogerio primo Regi, qui conſtitutus fuit legatus Sedis Apoſtolicæ in ſuo Regno, ibidem.

Monarchia Siciliæ cognoſcit etiam in prima inſtantia in cauſis Eccleſiaſticis, & exemptorum, non obſtante Trident. num. 44.

Concilium Tridentin. in cap. cauſæ omnes: *non fuit vſu receptum in Regno Siciliæ, quoad Tribunal Monarchiæ, ibidem.*

Legati de latere licet comprehendantur expreſsè in excluſione cap. cauſæ omnes, *non tamen Rex Siciliæ, vti legatus Sedis Apoſtolicæ, cum de eo ſpecificè debuit fieri mentio, num.* 44.

Verba priuilegij Monarchiæ Siciliæ, quo Rex creatus fuit perpetuus legatus, qui referant, n. 45.

Authores plurimi recenſentur, qui tenorem prædicti priuilegij, praxim procedendi, & circa quæ adducunt, num. 46. *& ſequentibus.*

Rex Catholicus in Regno Siciliæ habet Monarchiam in temporalibus & ſpiritualibus, n. 47.

Author eſt Iudex Tribunalis Monarchiæ à Rege Catholico nominatus, ibidem.

Cæſar Baronius contra Monarchiam Regni Siciliæ in ſpiritualibus nonnulla ſcripſit, num. 48.

Contra quæ nonnullæ Apologiæ exierunt in publicum, necnon Regia edicta, num. 49.

Princeps poteſt non admittere in ſuo Regno Prælatum electum ad dignitatem ſibi ſuſpectum, n. 50.

Nuntiorum facultates ad Senatum Regium deferuntur, vt illic examinentur, & quibus vti conueniat in Hiſpania admoneantur per Senatum, num. 51.

Nuntiorum litteræ pro negocij grauitate examinantur in Senatu ante earum vſum, ne inconuenientibus horum Regnorum moribus vtantur, & ad id Summus Pontifex conſulatur, ibidem.

Nuntiorum Sedis Apoſtolicæ litteræ non vehuntur ad Senatum ad effectum examinandi idoneitatem perſonæ, ſed vt cognoſcatur ex litterarum oſtenſione, an verè ſit miſſus, & quibus facultatibus, ne illis abutatur, & excedat, num. 52.

Principes tuta conſcientia vtuntur Regalia retentionis Bullarum, tuti tot DD. authoritate, num. 53.

Et etiamſi res foret dubia, poſſet ſequi opinionem fauorabilem, ibidem.

Retentionis Bullarum vſus iure immemoriali, & fundamentis vallatur remiſſiuè, num. 54.

Retentioni Bullarum non obſtat, imò fauet, Bulla in Cœna Domini, num. 55.

Bullæ Cœnæ Domini quantum attinet ad Bullarum retentionem verba referuntur, num. 56.

Bullam in Cœna Domini in cap. 14. *tangente retentionem litterarum Apoſtolicar. qui Doctores referant ad litteram, num.* 57.

Bullam in Cœna Domini conformem eſſe vſui Hiſpaniæ in litteris retinendis oſtenditur, n. 58.

Litteræ Apoſtolicæ in Hiſpania, hoc tantum licito fine detinentur, vt ſupplicetur Pontifex, certius informandus, num. 59.

Prælati, & Capitula Hiſpaniæ admonentur à legibus Regiis, vt ſupplicent à litteris, quæ offendant publicæ vtilitati, etiam ſpirituali, illáſque ad Senatum mittant, num. 60.

Retentionem Bullarum, in cap. 14. *Bullæ Cœnæ expreſsè permiſſam eſſe (ſupplicatione præmiſſa) plurimi recenſentur Doctores, id firmantes, n.* 61. *& ſequentibus.*

Fiſcales Regios non comprehendi in Bulla Cœnæ ſupplicantes à litteris Apoſtolicis ob bonum publicum Regni, aut Regis, n. 62.

Impedientes litterarum Apoſtolicam executionem text. informandi, & ſupplicandi Pontificem, & ſupplicationem proſequendi, non incurrunt cenſuras Bullæ Cœnæ, num. 63.

Quia hoc indulſit Pontifex expreſsè in Bulla, quoties arbitratur litteras continere iniquum grauamen, num. 64.

Recurſum ad Regem ob tollendam violentiam, ex litterarum Apoſtolic. executione oriundam, non comprehendi in Bulla, nec eius cenſuris, qui affirmant, num. 65.

In cenſuras aliquas non incidunt, iuſta exiſtente cauſa, ſuſpendentes litterarum Apoſtolicarum executionem ad effectum melius informandi Sanctiſſimum, num. 66.

Excommunicatio Papæ contra ſibi legitimè reſiſtentem non ligat quoad Deum, num. 67.

Recurſus ad Regem ad Bullarum retentionem immunis eſt à cenſuris, cum fiat iure, & Papa permittentibus, exiſtente legitima ſuſpendendi cauſa, num 68.

Bullas Apoſtolicas in derogationem Regij patronatus, Rex retinere poteſt, nec ob non paritionem aliquas incurrit cenſuras iuxta Bullam Adriani, num. 69.

Bulla in Cœna tollit fictum prætex. violentia ad Bul-